


Heinrich Rahn

## Programma

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766234339>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



PROGRAMMA,  
*Quo*  
 DECANUS, ET  
 COLLEGIUM FACUL-  
 TATIS JURIDICÆ  
 In Academia Rostochienfi  
 ad Disputationem Inaugu-  
 ralem.

à  
 Dn. JOHANNES Wegener/ Ro-  
 stochienfi, Juris CANDIDATO  
*Enturo die 17. Junii in auditorio majori  
 habendam.*

Magnificum Dn. Rectorem, Dnn. Pro-  
 fessores, omnesq; omnium ordinum Cives  
 Academicos amanter  
 invitant.

---


ROSTOCHII,  
 Literis NICOLAI KILII, Acad.  
 Typograph. Anno 1641.



**N**Ta in vita humana comparatum est, ut homines, etiam y, qui sapientes videri volunt, sapius res ex opinione magis, quam veritate estimant, & quod dubitandi rationem vix admittit, in dubium vocent. Veritatem hujus effati cernimus in literis, & disciplinis liberalibus, quæ, etiam si sint honestissima, & optima, tamen haut magni estimantur, imò sinistro multorum judicio & sermone vapulant, præsertim hoc Martiali seculo, quo Musæ sunt mule, & vix bonis artibus relinquatur locus: quo Virtus medio jacet obruta cæno, atq;

Neglecta terras fugit, & mores feros  
Hominum cruentâ cæde pollutas manus  
Altræa virgo.

Etenim reperiuntur, qui non tantum bellum ingenuis artibus indixerunt, simulatoq; contemptu vel ingenij tarditatem, vel segnitiam suam tegunt: verum etiam earum studia homini in Rep. tam tranquilla, quam turbata non dicam non prodesse, sed plurimum obesse, sibi persuasum habent, suoq; errori ejusmodi præcedunt velamenta; quod vel animus delinimentis literarum effaminetur, vel falsâ sapientia imaginatione inflammetur, vel scientiæ curâ ad dominandi cupidinem incitetur, vel deniq; quod doctissimi sapius insigniter improbi existant. Et sanè negari nequit, eam esse doctrinæ suavitatem, ut nihil illâ homini, secundum Tullium, jucundius, eam dulcedinem, ut ejus desiderium satis expleri non possit; & quo plus curæ quis in studijs posuerit, eo magis ad illa ferri, & quodammodo trahi videatur.



tur. Hinc animadvertimus plerumq; illos, qui paulo diutius in  
 bonis literis detenti fuerant, sollicitudinem amare, & abhorrere  
 ab hominum congressibus, aliquando etiam esse ad negotia ge-  
 rendam ineptissimos. Quod vel unicum Archimedis Syracusa-  
 ni, quo celestium indagatores in suis sæpè occurrentibus dissi-  
 ditantur patrono, exemplum confirmare potest. Hic siquidem  
 captâ à Romanis, atq; direptâ patriâ suâ, usq; adeo se commo-  
 veri non est passus, ut ne signum quidem doloris ullius ederet,  
 quem ex interitu urbis cepisset, tanquam re nihil omnino ad  
 ipsum spectante. Quin voluit potius vir ille figuras geometri-  
 cas, quas in ipsa vastatione pulveri terra inscripserat, quam vi-  
 tam servare. Ferociter quippe percunctanti militi, quis esset,  
 non nomen dedit, sed oppositâ tantum manu, ne pulverem sibi con-  
 funderet, aut circulos turbaret, obsecravit. Bellator agrè ferens  
 responsum viri ignoti, eumq; contemptorem ratus, ætutū inter-  
 fecit. Sic insignem Geometram immodica, & intempestiva  
 mentis intentio hostis, Marcilli Ducis, qui ipsi parcere jusserat,  
 favore indignum, incapacemq; reddidit: sic curiosa nimis eru-  
 ditio nec sui, nec Reip. extremè laborantis curam habuit, ac per-  
 inde quasi negligens victoris, ut Val. loquitur, obruncatus san-  
 guine suo arvis sua lineamenta confudit. Hoc exemplum quam-  
 vis magni æstiment *ἀποστον ἔργον ἀπὸ ἀδελφῶν*, tamen & aliunde  
 suum stabilire errorum conantur. In medium adducunt Cato-  
 nem, qui dicere solebat: ab eo tempore paulatim virtutem Ro-  
 manorum concidisse, quo Græcū literis juvenis eorum dedita  
 fuisset. Cumq; tres Atheniensium Oratores Romam venissent,  
 & eos Romana pubes magno numero comitaretur, suavit Ro-  
 manus, ut quam primum eos dimitterent, ne blanditiis ipsorum  
 illecta juvenis studia literarum ardentius amplecteretur, &  
 rejectis militaribus exercitijs, humanitatem sectaretur. Ro-  
 mam itaq; veterem rudem putant literatorum esores domi fo-



risq̄ validiorem, & magis admirabilem imperij majestate fuisse, quam posteriorem illam eruditam, quae seipsam tandem pessum dedit. Quod si à veteribus Romanis, ajunt, ad Turcicum fle-  
tamus oculos imperium, quo sub sole vix potentius, videmus, illud non tam belligerandi dexteritate, quam literatorum exi-  
lio stare invictum. Quapropter, cum Gothi Graciam olim in-  
genti cum terrore devastarent, & amplissimas bibliothecas, tan-  
quam res leviculas, ex communi decreto vellent comburere, illum  
rectè & prudenter fecisse existimant, qui intercessit, & consu-  
luit, illas relinquendas esse illas, militia venenum, & aptum  
viriles Gracorum animos effaminandi instrumentum. Hanc por-  
ro à *μυροδωρίαν* corroborant dictorio tum illius, qui scripsit; post-  
quam docti prodierunt, boni esse desierunt: tum Imperatori Li-  
ciniij, qui literas venenum, & pestem publicam dixit: tum deniq̄  
Ludovici XI. Galliarum Regis opinione, qui voluit, & curavit, ne  
filius operam multam impenderet bonis artibus, si modo hoc in-  
telligeret: Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

Verùm horum sententia meritò rejicitur. Nam primùm  
in eo errant, quod non intelligant, barbarum illum litera-  
rum contemptum aequè nihil unquam contulisse ad fortitu-  
dinem, ac sanus illarum usus ei adimit. Deinde honestarum ar-  
tium cultus minimè effaminationi praebeet occasionem; sed abusus  
illorum praesertim, qui otio suo, atq̄ ignavia turpi velamen stu-  
diorum iniquè induunt. Et si enim quiesca est sapius studiosorum,  
eruditorumq̄ vita, tamen ita est quiesca, ut, qui ritè eâ uti sciat,  
ad res summas gerendas sic futurus idoneus. Siquidem licere  
acuunt ingenium, prudentiam conferunt, intellectum perficiunt,  
& ad veram gloriam, quae stimulus est ad virtutem, ac res pra-  
clare perficiendas impellit. Et an putas illum otiosum, qui per-  
petuè mentis agitatione grande aliquid molitur; qui pulcherrimis  
& utilissimis comitatus curis theatra, & vulgi plausum fu-  
git;

git; qui nunquam minus otiosus est, quam cum otiosus, nec minus solus, quam cum solus est? Quod Scipionem Africanum, de suo otio, cui se interdum post exantlatos labores bellicos dedere solebat, dixisse docent historia. Neg, Alexander fortis bellator esse desit, nec Caesar in pralijs minus felix exitit, quod in literarum non minus, quam militia studijs exercitati fuissent. Præterimus Germanicum, M. Antonium Philosophum, Tacitum, Mithridatem Regem Ponti, Alphonsum Arragonia & Sicilia Regem, & alios, qui literarum studia cum re militari felicissimè conjunxerunt. Unde dubium natum, an tutius libros, quam clavas manibus tractarint: an gloriosius prudentiam & scientiam in cerebro, quam diadema, seu coronam triumphalem in capite gesserint: an splendidius honestis disciplinis imbuti, quam purpurâ amicti eluxerint. Romanam olim Remp. ob prolatos fines plus ferè debuisse MM. Scauris, Q. Q. Metellis, Q. Q. Catulis, LL. Scævolis, scientiarum ac virtutum Atlantibus, quam Scipionibus, Paulis, Marcellis, Fabijs, fortissimis bellorum ducibus & Imp. arbitramur. Non possumus hic non mentionem facere Alexandri M. Ladislai Regis Ungar. ac Bohem. ac Leonis Grecanici Imp. Quorum ille dicebat ad Aristotelem præceptorem suum: se malle doctrinâ, quam imperij magnitudine alijs antecellere. Isti non videbatur homo, qui literas ignorabat. His cuidam eunucho pro militibus deblateranti respondit: utinam meis temporibus eveniat, stipendia militum in doctores artium, absumi. Quod si quibusdam id accidat, quod Musicam discantibus solet, qui artem primum suavitate delinuntur, nimia deinde delectatione affecti omninò mollicie diffuunt, non studijs, sed peruersitati discantium est tribuendum. Ac perdidit licet suas Respub. homines doctissimi, Pisistratus, Alcibiades, & id genus alij improbo doctrinae abusu: seruarunt tamen suas sano ejusdem usu, ne plures nominemus, Agesilaus, Xenophontis,

Epaminondas, Lysidis discipulus. A Lucullo certè, qui literas  
apprimè didicerat, non minus commodè Resp. fuit administra-  
ta, quam à C. Mario, qui ab illis planè abhorrebat. Neq;  
pacis duntaxat, sed & belli tempore artes ingenue profunt.  
Non rarò enim tumultuante plebe literatus unus masculà  
oratione, & flexanimà lingua gratià impetravit id, quod mil-  
le cataphracti vi, ferrove nunquam obtinuisent. Quade re ita  
loquitur Poëta:

Cum fortè coorta est  
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,  
Jamq; faces, & saxa volant, furor arma mini-  
strat:

Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum  
quem

Conspexere silent, arrectisq; auribus astant,  
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quod autem scientiã animos inflari nonnulli queruntur,  
id uti concedi facile potest de ijs, qui falsã persuasione, qua im-  
pedimentum est profectus, & ipsã scientiã falsã imbuti sunt; ita  
negatur jure merito de illis, qui verã scientiã sunt præditi. Nam  
vera, solidaq; rerum cognitio non admittit, ut quis seipsum ne-  
sciat, se verò qui novit, quomodo fastus, qui hinnitus stultitia  
non ineptè vocatur, qui & inter peccata primas tenet, condi-  
tionem ignorabit? Quod de vitiis eruditorum quorundam caus-  
santur, idem est, ac si ad eos, qui medicamenta venundant, ac-  
cedi nolint, quia & venena vendant, & præterea ipsi sapè  
agrotent. Neq; scientia magis aspernanda est, quod interdum  
summa apud nequissimos inveniat, quàm frumentum ger-  
manicum, aut Polonicum, quia fortè sparsum in calidas Libie  
sitiensis arenas; vel vinum nobile, quia vasi fœcido infusum of-  
fendas. Quod deniq; unus aut alter Imp. olim literas neglexe-  
rit,

rit, non probat noxiam esse earum notitiam: nisi velimus eodem  
 argumento asserere cum Leone X. Pontifice historiam Christi esse  
 fabulam, vel parvi pendere vitam eternam, quod Johannes 23.  
 eam negaverit: vel etiam furta commendare, quia à Spartanis,  
 & Aegyptijs permiffa sint: vel incestum laudare, quia is olim a-  
 pud Persas, Cares, atq. alias Gentes licitus fuerit. Tolerari igitur  
 minime potest sententia bonas artes, earumq. studia sper-  
 nentium, quasi parum prosint ad gubernandam Rempub. aut  
 hominem politicum minus deceant: cum constet verum illorum  
 usum societati civili plurimum adferre utilitatis. Et hanc ipsam  
 etiam ob causam gradus, sive tituli honorum in Academijs  
 auctoritate Imp. recepti sunt. Qui nihil aliud sunt, quam  
 signa quadam, & nota, sive testimonia doctrinae, & prae-  
 mii virtutis. Quae quidem in se praemium est optimum: sed tamen ad-  
 dicitur, & confertur honoris nomen iudicio consensuq. doctorum,  
 ut pateat, qui ad salutes Reip. labores cum fructu adhiberi pos-  
 sunt. Hic ergo iterum non recte sentiunt, qui dedecori sibi putant  
 huiusmodi ornamenta, in quibus quandam quasi turpitudinis  
 maculam sitam censent. Eoq. sibiipsis placent, quod sapiant,  
 quod docti, quod politi sint, sine docti, aut eruditi nomine: quod  
 scire desiderant, & tamen respiciant scientiae testimonium. Quae  
 in re nescimus quid vel humilitatis, vel superbiae statuam. Quae  
 si verò non sit ridiculum, rem ipsam affectare, atq. amore com-  
 plecti, & interim insignia ejusdem aversari; quae qui sententijs  
 & suffragijs legitimis adeptus est, is nobis, juxta ac bonis omni-  
 bus & honestus, & honoratus, & conspicuus, & laude dignus vi-  
 detur. Haec & id genus alia recte secum reputans via eximius,  
 & eruditus Vir Dominus JOHANNES WEGENERUS  
 ROSTOCHIENSIS satius existimat in Academia patria  
 inter Musarum alumnos, & Themidos plausus suam virtute in al-  
 tiorem locum pervenire, qui tutus tamen est, & sortis à ludi-  
 brio alienus; quam in militia, inter armorum crepitus, & Martis  
 phalax-


phalanges ascendere per alterius incommodum & calamitatem  
ad ejusmodi fastigium, quod praruptum est, & ubi Fortuna sin-  
gulis ferè momentis precipitium minatur. Postquam enim ali-  
quot annos in celeberrimis cum superioris tum inferioris Germa-  
niae Academijs studia liberalia, quibus se à pueritia dederat, ac  
inprimis artem equi & boni alacri, atq; magno animo persecutus  
fuit, redijt in patriam, & à nobis, nostroq; Collegio Doctoris no-  
men sibi in utroq; jure tribui petijt. Nos honesta huic petitioni  
desse nec volumus, nec potuimus. Ideoq; ut, quos in Jurispruden-  
tia fecisset profectus, exploraremus, eum ad privatum examen  
admisimus, in quo se Juris scientiã ornatum, & instructum pra-  
buit Candidatum. Jam restat, ut prius etiam publicè se sistat, &  
cuivis, qualis sit, & quousq; in studio Juris processerit, probet,  
quàm honores, ad quos adspirat, consequi possit. Faciet illud ad  
diem 17. Junij, quo disputationem habebit de Appellationibus.  
Vos vero, Magnifice Dn. Rector, Reverendi, Consultissimi, Experi-  
entissimi, clarissimi Dnn. Professores, ceteriq; omnium ordinum  
Cives Academici, Doctores, Ecclesie ministri, artium Magistri,  
nobilissimi, doctissimiq; Studiosi, vos omnes, & singulos officiosè ro-  
gamus, & diligenter invitamus, ut ad huius solenni interesse,  
disputantem benignè audire, exercere, excutere, adeoq;  
illi animis, linguis, & auribus favere non dedignemini.  
Illud beneficij genus uti ipse gratà & memori mente semper pre-  
dicabit, sic apud nos evanescere, aut perire nunquam patiemur.  
P.P. Rostochij, sub sigillo Facultatis nostrae, VIII. Id. Jun.  
Anno Christi M DC XLI.

☉(○)☉





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 , poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 ptam forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4